



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, 1657

Matrimonium tria complecti. 42

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

Jibidini ita vident sicut equus & mulus in quibus non est intellectus, dæmonium malum dominatur. Quamobrem vehementer comprobamus illum morem, quo , Matrimonio jungendi , ante Ecclesiasticam conjunctionem jejunio se præparant, & sacram Eucharistiam sumunt.

CAP. XLII. *Matrimonium tria complecti.*

Aug. de Genesi ad litteram lib. 9. c. 7. tom. 3.
DOCENDI itaque breviter , Matrimonium tria complecti, fidem, prolem, & Sacramentum. In fide attenditur, ne, præter vinculum conjugale, cum altera vel altero concubatur. in prole, ut amanter suscipiat, benigne nutritur, religiose educetur. in Sacramento autem , ne conjugium separetur, neve dimisus aut dimissa, etiam prolis causa, alteri conjungatur.

CAP. XLIII. *Pium votum, & in clandestine contrahentes censura.*

Ex Catech. non. Ema- risti.
OPTANDUM, ut Canon Euaristi Pontificis Concilio generali renovetur , tollanturque illa clandestina matrimonia, quæ, invititi parentibus ac propinquis , Veneris potius quam Dei causa contrahuntur. Nam quanta ex his clandestinis matrimonii mala suboriantur, in aperto est. Interea vero, donec Ecclesia de hoc prospiciat, si non irrita, prohibita saltem sint ; & poenæ Canonicae , hoc est, excommunicationi , contrahentes & qui his ope aut consilio adfuerint, subjaceant : quam nec tam facile, nisi Ecclesia satisfiat, tolli, admodum expedire , Nobis videtur. Quantum fieri potest, cavebit Parochus, ne liberos citra parentum autoritatem conjungat. Quod si parentes negligentes fuerint, aut, in admittendo matrimonio jam contracto , rigidiiores negatores; admonebit eos, ut liberos matura aetas elocent, neve vinculo, jam per Ecclesiam indissolubili, pertinacius oblucentur.

CAP. XLIV. *Coniunctione conjugum in facie Ecclesia peragenda.*

I Cor. XI.
CONIUNCTIONEM, per Sacerdotem, cum benedictione sacerdotali ac precibus, inter Missarum solemnia in templo secundum antiquos Canones & Ecclesiasticum ritum fieri, decernimus. Superbia ac fastu tumidis, qui in privatis domiciliis malunt quam in templo, ubi Ecclesia convenit ac conjungendis bene precatur, copulari , quis non inepte opposuerit illud Paulinum : Num Ecclesiam Dei contemnit? Nec Sacerdos antè quoilibet coniugio jungat, nisi edictis aut proclamationibus tribus , publice è suggesto ad populum factis,

præcedentibus , ob multas ac varias fraudes evitandas. Contra hæc haud facile, sed tantum ubi ratio admodum necessaria hoc ipsum fieri postulaverit, idque non nisi causa cognita, dispensabitur.

CAP. XLV. *Peregrinos & ignotos, sine legitimo testimonio, non conjungendos.*

PEREGRINI & ignoti non conjungantur, nisi legitimis testimoniosis doceant, se, ubi ante versati fuerint , nullis matrimonii vinculis adstringi , ipsisque per suum Parochum licere, per alium Parochum copulari.

CAP. XLVI. *In gradibus consanguinitatis ac affinitatis, Concilium generale observandum.*

Ex Concilio generali non debet de consanguinitate & affinitate.
QUOD ad gradus consanguinitatis ac affinitatis attinet, qui matrimonium contrahendum ac contractum dirimunt , decretum Concilii generalis observabitur. Hic si Parochi in dinumeratione graduum addubitaverint, peritores consulent. Vbi Romanus Pontifex dispensatorio diplomate matrimonium, secus contractum , approbandum jussit, examinentur causæ diligentius, quæ dispensationem extorserunt. Quæ si comperiantur aliter, quam narratum est, se habere , non dubium est, dispensationem nullius roboris esse.

CAP. XLVII. *Ludicra tollenda.*

LUDICRA illa , quæ in templis post coniunctionem Sacerdotalem fieri consueverunt , veluti in pulsando sponso , atque alia ejusdem generis , penitus tollantur. Nam res feria, quam Deus ipse instituit, benedixit , inviolabilemque decrevit, agitur.

CAP. XLVIII. *De sacro Ordine dictum esse prius.*

DE sacro Ordine , & quæ salutaris gratia hoc Sacramento conferatur , quæ denique in eodem Sacramento conferendo observari oporteat; titulo primo, qui de munere Episcopali est , abunde diximus.

CAP. XLIX. *Cur adhibeatur Extrema unctio.*

RESTAT Extrema unctio, quæ (quoniam in morte extrema lucta est) adhibetur , ut vel convalescat ægrotus, si Deo ita visum , vel fide bona spe obdormiat in Domino.